

## HULDRICUS SCHOBERUS

*Epithalamium in nuptias et epicedium in obitu, scriptum Georgio Egnero, sponso, qui in ipso convivio nuptiali insperata morte extinxus est, Torunii Borussorum ex officina typographica Andreae Cotenii, 1591*

wyd. Elżbieta Chrulka (UMK, Toruń)

**De tragicomoedia Amoris et Mortis**

- 1     Exhibiturus erat sumto novus histrio socco  
          ludens Amor comoediam.  
      Atra superveniens tragico Mors vincta cothurno  
          mutavit in Tragoediam.
- 5     Victus Amor luget. Mors imperiosa triumphat:  
          O asperum spectaculum!

**Epitaphium sponsi defuncti ad Famam**

- 1     Morte repentina moriens incepta reliqui  
          gaudia, pro sponsa Mors mihi sponsa fuit.  
      Ad sponsum sponsus veni post funera Christum.  
          Garrula de nostra Fama salute tace.
- 5     Cordibus in nostris veniam pro crimine clamat  
          immenso passi sanguis amore Dei.  
      Revera sanguis Christi verissima coeli  
          clavis et ad superas, lux, via, porta, domos.  
      Serius aut citius tulerint me Fata perinde est.
- 10    Hac usus Coeli clave beatus ago.

Epithalamium in nuptias virtute et morum ornamentis praestantissimi iu-  
 venis D. Georgii Egneri sponsi et honestissimae pudicissimaeque virginis  
 Annae prudentissimi atque ornatissimi viri D. Michealis Siefridi Senatoris  
 Toruniensis relictae filiae sponsae. Celebratas Toruniis Die XX, Novemb.  
 Anno M.D. XC. Scriptum a M. Huldrico Schobero Lubensi

- 1 Si, qui thesaurum fato reperere secundo,  
 (immane quantum) gestiunt.  
 Si, quibus inventae dites in littore gemmae,  
 fatentur ore gaudium.
- 5 Quenam, sponse, tuam perfundant gaudia mentem,  
 qui duxeris viraginem,  
 quae longe gazas omnes, quae vicerit omnes  
 in orbe gemmas gemmeo.
- 10 Si te forma capit, Venus est aut ipsa venustas,  
 viden oculos amabiles,  
 nempe fenestellas animi lucemque gemellam,  
 stellantis aula gratiae.  
 Cetera, quid memorem per membra decentia fusae  
 documenta pulchritudinis.
- 15 Corporis hanc vincit morum divina venustas.  
 Nam moribus est lectissimis,  
 in quibus imprimis laudata modestia fulget,  
 Pudor et ille nobilis,  
 virginis ex oculis qui se sine labe videndum  
 20 serenus hospes exhibet.  
 Dotibus et magnis quamvis cumulata nitescat,  
 nulli anteposit se tamen.  
 Hinc adeo populi collegit in urbe favorem  
 laudemque cepit maximam.
- 25 Accedit Pietas, Pietas, quae dona coronat  
 Exaggeratque cetera.  
 Anna bonis animi, forma quodque corporis Anna est  
 et gratiarum gratia.  
 Ipsaque Pax et stella domus Siefrida paternae  
 30 et Vesperugo fulgida.  
 Magna quidem, sed vera tamen laus nostra, nec ullis

- referta falsimoniis.  
Sit procul a nobis Siren studiosa nocendi,  
absit poppysma scenicum.
- 35 Cognita protulimus, toti manifesta Torunae,  
nil servientes auribus.  
Fallor? An ipsa tibi Virtus in imagine Sponsae  
exosculanda traditur.
- 40 Ipsa tibi Virtus in imagine viriginis huius,  
o Sponse, Sponsa dicitur.  
Nec reliquis Fortuna negat se dotibus ampla  
cornuque dives copiae.  
O felix, tali quem compare coalitus ornat  
divina providentia.
- 45 O vere felix, o terque quaterque beatus,  
cui talis Uxor obvenit.  
Ergo tibi vero gratamur corde, Georgi,  
domus ocelle Egneridos,  
quod tibi coniunxit talem Deus ipse puellam,
- 50 quae, plena bonis amplissimis  
corporis atque animi, te delectare potisset  
et moribus mitissimis.  
Nec tibi, Sponse, tuae desunt, lectissime, dotes,  
o Sponse candidissime.
- 55 Est tibi namque decus sublimis amabile formae  
lumenque iuventae floridum.  
Internos plerumque solet depingere mores  
externa forma corporis.
- 60 Sic animi dant signa tui magnique bonique  
decora vultus lumina.  
Vivite felices! Christus paranymphus amicum  
connubiumque prosperum  
denique fecundum dederit faxitque per Annam  
brevi Georgium patrem.
- 65 Hoc precor, hoc opto, votis subscribite Musae  
Musisque Musarum Arbiter.

## Aliud

Una trium Charitum nubit: gaudete Camoenae,  
 una Camoenarum: plaudite tres Charites.  
 Vos Charites Charitem, vos Musae extollite Musam,  
 ecqua puellarum tam bene nupta fuit.

*Prima dies thalami, summa dies tumuli*

Epicedion eiusdem ornatissimi iuvenis Georgii Egneri, qui in convivio nuptiali, tribus circiter horis post copulationem in coetu Ecclesiae peractam, repentina morte sponsus extinctus et ex hac vita evocatus est, cum incredibili luctu ac moerore sponsae, matris et novorum affinium, ipso die Nuptiarum, qui fuit XX Novembris, circa horam VI vespertinam. Scriptum ab eodem M. Huldrico Schobero Lubensi.

- 1 Vivimus et morimur. Quis terror et error in urbe est!  
 Quae somniamus somnia?  
 Sponsus an extinctus? Quid fama volatica vano  
 evisceras populum metu?
- 5 Heu mihi, rem gestam memoras, quam plangor et angor  
 confirmat ore publico.  
 O mirum et tristem casum! Quid Sponsa, quid, eheu  
 dolore pene rumpitur.  
 O quibus hoc funus lacrimis, quibus anxia verbis
- 10 nostra aegritudo defleat?  
 O qualis miserae subiecta tragoedia Sponsae  
 per mortis histrioniam?  
 Tales stirps Danaï peragebat ferrea, tales  
 filia Creontis nuptias.
- 15 Quis te Mors, hominum pestis truculenta, vocavit  
 ad nuptiale gaudium?  
 Idolum Mortis quondam Memphitica tellus  
 admisit in convivium.  
 Tu vero, non umbra tui, non tristis imago,
- 20 irrumpis syssitia  
 et Sponsum, in thalamum qui se sperabat iturum,

- in tumultum amara deprimis.  
Nondum epulis exempta fames mensaeque remotae,  
cum Sponsum obisse nuntians  
25 horrida concussam bacchatur fama per urbem,  
non absque Divum numine.  
O ubi nunc Musae, fallacia numina Musa,  
quae teque seque fefellerant?  
O ubi nunc vates, mendax sine crimine? Sponsus  
30 en occidit, occidit, occidit.  
O spes fallaces, o vita simillima morti,  
vitae Hemerocalle est typus.  
Flosculus exoriens, cum sol prospexit ab ortu,  
nocte appetente concidens.  
35 Vive memor Lethi, si vis evadere Lethum,  
tecum comest mors et bibit.  
Mors, mors prae foribus, mors ultima linea rerum,  
securitatis subsequa.  
O quae lingua tuum solando, sponsa, dolorem,  
40 quae vox, quae suada, leniat?  
Non ea vis animi, non tanta potentia nostra est,  
luctum queat ut tibi sistere.  
Vox tantum Divina valet, quae pectore clausa  
doloris exstinguit faces.  
45 Non tu sola doles, sanus doles omnis et omnis  
in civitate civitas.  
Tecum flere putem pueros iuvenesque senesque  
coelumque opertum nubibus.  
Ah nimium nimium gravis est tibi causa dolendi.  
50 Christus tibi luctum temperet,  
Christus, qui vesci fecit te pane doloris,  
te suavitate recreet  
ambrosiae, cum tempus erit lacrimisque propinet  
oblivionis poculum.  
55 Hoc tibi, sed Sponso precor, ut novus hospes Olympi  
Dei favente gratia,  
exultante choro Superum, consummet in aevum  
hic inchoatas nuptias.

**Epitaphium sponsi loquentis**

- 1     Quisquis in umbrosa lacrimarum valle moraris,  
      in me respiciens esse memento pius.  
      Sponsus eram, sponsam dederant mihi fata venustam,  
      eheu tres horas vix bene sponsus eram.
- 5     Mors mihi surripuit sponsam, me subdola sponsa,  
      o mors, qua nunquam tristior ulla fuit.  
      Securis supra caput est necis atra securis!  
      Qua minime speras luce venire, venit.  
      Sponsa vale! Te Fata manent meliora, dolorem
- 10    mitte! Redit pulsa nube serena dies,  
      me vero Divina polo clementia donet  
      confesso noxam semper aperta reo.

**De sponsa**

Una trium Charitum luget: lugete Camena.  
  Una Camoenarum, plangite tres Charites.  
  Vos Charites Charitem, vos Musae plangite Musam,  
  Ecqua puellarum tam male nupta fuit.

*Versa est in luctum cithara mea et organum meum in rorem flentium. Iob. XXX*